



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale, seu Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina**

**Torres, Alfonso de**

**Ingolstadii, 1604**

XVIII. Ne loca, aut res sacras immundas esse sinat, neu distrahat,  
profanetue Sacerdos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

## CAPVT XVIII.

NE LOCA, AVT RES  
SACRAS IMMUNDAS  
ESSE SINAT:NEV DISTRAHAT, PROFA-  
NETVE SACERDOS.

## SVMMARIVM.



**N**EMO profanare debet vasa, aut vestimenta  
sacra: quia eiusmodi profanatores à Deo  
seuere puniuntur. 1.6.7.

*Vestimenta, & vasa sacra, & corporalia munda sint,  
& nitida. 2.*

*Mundis vestibus, & munda conscientia tractanda  
Domini Sacramenta. 3.*

*Pallæ sordidæ, & vela sanctuarij qualiter lauanda. 4.*

*Nemo det pignori vasa, aut vestimenta sacra. 5.*

*Vestimentis altaris laici mortui non obuoluendi. 8.*

**B**ALTASSAR Rex iam temulentus præcepit, vt  
afferentur vasa aurea, & argentea, quæ aspor-  
tauerat Nabuchodonosor pater eius de templo,  
quod fuit in Ierusalem, vt biberet in eis Rex, & op-  
timates eius, &c. Eadem nocte interfectus est Bal-  
tassar Rex Chaldæus. *Dan. 5.*

*Ecclesiæ vestimenta, vasa sacra, & corpo-  
ralia, sint munda, & nitida.*

**S**VNT aliqui, qui non solum Ecclesias dimit-  
tunt

tunt incultas, verum etiam vasa ministerij, & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrore, &c. Præcipimus, ut oratoria, vasa, Corporalia, & vestimenta prædicta, munda, & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecrent etiam in profanis. *Innoc. 3. de cust. Euch. c. si. Burchard. l. 2. c. 50. l. 3. c. 97. Vide sup. p. 1. cap. 4. §. 1. de Templis, c. Erat sollicitus, n. 38.*

**Mundis vestibus, & munda conscientia tractanda sunt Domini Sacramenta.**

NON quotidianis, & quibuslibet pro vsu vitæ communis pollutis vestibus ingredi debemus in Sancta Sanctorum; sed munda conscientia, & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta. *Hieron. super Ezech. c. 46.*

**Qualiter lauandæ pallæ sordidæ, & vela Sanctuarij.**

Pallas, & vela Sanctuarij, si sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris intra Sanctuarium lauent, non eicientes foras à sacrario: & velamina dominicę mensę abluant, ne forte puluis Dominici corporis male decidat. Sindonē vero ne foris abluant: & erit hæc operanti peccatum. Idcirco intra Sacrariū ministris præcipimus hæc sancta cum diligentia custodire. Sane peluis noua comparetur, & præter hoc nil aliud tangat.

Aa 4

Sed

Sed nec ipsa peluis velis apponatur lauandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallæ altaris solæ in ea lauentur, & in alia vela ianuarum, &c. *S. Clemens de consecr. dist. I. c. nemo per ignorantiam.*

**Nemo det pignori vasa, aut vestimenta sacra.**

- 5 **NVLLVS** Presbyterorum præsumat calicem, vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum Sacerdotale, aut librum Ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, aut feminæ in vadimonio dare, nisi iustissima necessitate urgente: quia tanta est sanctitas sacri ministerij, vt, salua altioris mysterij intelligentia, etiam Dominus per Prophetam prohibuerit, nec cum sanctis vestimentis Sacerdos ad populum procedat; sed illa intra sancta dimittat, à colloquio diuino rediens, &c. Sicut sanctus Stephanus Papa & Martyr Sanctum Hilarium in suis decretis docuit. *Hoc decretum datur Concilio Rhemensi. c. II. sed falso.*

**Nemo profanet vasa, aut vestimenta sacra.**

- 6 **NVLLVS** Sacerdos, seu laicus, calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata, ad alios vsus retorquere præsumat. Nã, quicumque de calice sacro aliquid aliud bibit præter Christi Sanguinem, qui in Sacramento accipitur; & patenã ad aliud officium habet, quam ad altaris ministeriũ, deterrendus est, exemplo Balta-
- far,

far, qui, dum vasa Domini in vsus communes as- *Dan. 5.*  
sumpsit, vitam pariter cum Regno amisit. Ita re-  
fertur ex Conc. Aurelian. 4. c. 9. Sed in nullo quinq; Con-  
ciliorum Aurelianis celebratorum inuenitur. Idem ta-  
men decretum est in Can. Apostolorum 72. & in Con-  
cilio Brachar. 3. c. 2. de consecr. dist. 1. c. vestimenta.

Sacra vasa furto subtrahere cupiens Cle-  
ricus diuinitus punitur.

*Ut not. sup. p. 1. c. 3. §. 2. de vestimentis, Nocte consur- 7*  
*gens, n. 20.*

Vestimentis altaris mortui laici non ob-  
uolendi.

NEMO per ignorantiam Clericus mortuum g-  
redat obuoluendum, aut Diaconus scapulas velit  
operire palla, quæ fuit in altari, aut certe, quæ Dia-  
cono data est in mensam Domini. Qui hæc fecerit  
vel leuiter, quasi nihil, & negligenter habuerit di-  
uina mysteria, Diaconus triennio sexque mensi-  
bus à Dominico alienus erit altari, graui percussus  
anathemate. Quod si Clericum Presbyter non  
commonuerit, decem annis, & sex mensibus ex-  
communicatus sit: propterea quod de Domini-  
cis Sacramentis subiecta sibi non amouerit mini-  
steria: & postea cum grandi humilitate ma-  
tri reconcilietur Ecclesiæ. *S. Cle-*

*mens de consecr. dist. 1.*

*c. eod.*

Aa 5

CAP.